WIMBP
Opole

259 St

I

Akc VI Nr 166/68/C

PATRIMONIVM ATAVITVM BORVSSIAE REGIS ET GENTIS BRANDENBVRGICÆ IN QVATVOR SILESIAE DVCATIBVS Iægerndorf, Brieg, Liegnitz, Wohlav,

CVM ADNEXIS PLVRIBVS DYNASTIIS.

1740.

PROOEMIUM.

QUi rerum iuriumque *Bohemiæ Sileſiæque* paulo gnarus eſt, eum neque latere poſſunt legitimæ extraque omnem dubitationem poſitae cauſae ATAVITI PATRIMONII BRANDENBVRGICI, in *quatuor* SILESIAE *ducatibus*, principatibus atque dynaſtiis

IAEGERNDORF,
LIEGNITZ,
BRIEG,
WOHLAV,

BEVTHEN, ODERBERG & reliquis, inde a plurimo tempore ab *Auſtriacis* imperatoribus, qua regibus *Bohemiae*, omnino requiſitis atque per litteras ac libellos ſerio ac ſaepius, fruſtra licet, adſertis.

Iura *Brandenburgica in Sileſiae ducatus* ciuium nemini ignota.

§. II. Produxerunt etiam hoc argumentum in publicam arenam, quotquot *praetenſionum illuſtrium* inter reges & principes aperuerunt *theatra;* licet, huc facientia, publicae fidei monumenta cognita paucisſimis adeoque impares fuerint diuerſorum hic ſcriptorum conatus.

Producta in *theatris* illuſtrium *praetenſionum.*

Agnitaque *Austriacis*, oblato *argento*,

§. III. IVSTITIAM *causæ* intellexit & ipsa *Austriaca* domus. Ideoque, argumentorum pondere conuicta, obtulit BRANDENBVRGICAE genti numorum sat grandem summam, ad compensandum & satisfaciendum. Renuit autem BRANDENBVRG. PRINCEPS ELECTOR, oblata accipere. Idque partim ob GENTILITIA INTERDICTA, quae alienare iura resque familiæ prohibent; partim, quod officio *boni principis* uideretur aduersum, subditos, sibi iureiurando addictos, derelinquere ac submittere potentatui a sacris praesertim euangelicis alieno.

Brandenburgicis *uenalia* nunquam.

§. IV. Vere adfirmari credique potest, conscientiae magnam uim fuisse in hoc argumento. Quod nexus *quatuor Silesiæ ducatuum* horum iuratus esset frangique & rumpi non posset, salua utrinque fide. Accederent etiam huius populi uota, preces, suspiria, *lachrymae*; ne desererentur a *Brandenburgicis, principibus suis*, quibus fidem dederint, nullo casu aut temporis interuallo diuellendam, sine periurii & perfidiæ improba nota.

Iustitiae obest inuidia.

§. V. Aequissima ceteroquin *Austriaca* gens, ea tamen in re, religionis nimietate & habendi cupidine, acta fuerat in transuersum; ut omnia tentare & experiri mallet, quam *Brandenburgicis* in *Silesia* locum facere. Quibus, licet *iustitia* faueret, *sacra* tamen eorum uiciniaque *Austriacis* esset inuisissima; ut, uel horum causa, uiolandum esset ius. Id quod ipse docuit euentus post. Quoniam *Brandenburgicum hoc quatuor Silesiae ducatuum patrimonium* principibus familiisque adsignatum aliis: ut eo minor nostris superesse uideretur spes, recuperandi ea, quae aliis possessoribus uendita traditaque cum perpetuarii dominii nexu. §. VI.

Deficiente indice *tempori* inseruiendum.

§. VI. Illud uerum est omnique orbi ac aeuo usu probatum: inter principes, armorum ualidos, temporis habendam rationem neque aliqnid faciendum intempestiue. Florente igitur Austriaca domo, *augustali* fulcro corroborata atque ultra humanae sortis gradum euecta gente, sua armis uindicare, aut, alio quouis remedio, præpotenti familiae extorquere de manibus, illud fieri non poterat, conatu quouis alio, nonnisi inani. Verum, *mascula* hac stirpe exarescente, omnium *rerum* moderator ac *arbiter* nouam aperuit BRANDENBVRGICAE domui viam: ad iniuriam, maioribus illatam si non vindicandam; tamen ad ea, quae adhuc per vim occupata & detenta, sibi iterum adferenda & recuperanda. Id est, ad QVATVOR Silesiæ DVCATVS, quibus *Brandenburgica* gens, tanto tempore destituta, optimo postlimii iure, recipiendos &, forti manu, si leniora remedia non suffecerint, redigendos in pristinam legitimamque potestatem.

Nouitas rei requirit argumenti *libellum*.

§. VII. Uti vero rerum euentorumque in orbe nouitas causa esse solet diuersorum motuum & iudiciorum inter mortales: sic e re omnino videbatur, prodromo hoc, rei causæque iustitiam aperire &, definitis iuribus ac rationibus, declarare. Qui etiam labor facilis, planus & brevis erit; quod eum adiuuant & sustentant, imo absoluunt fere plenae fidei documenta, in sacris palatii regalis laterculis custodita, sepositа iurisprudentia simulata & inani argutiolarum adparatu & fuco

Partitio *multiplicium* causarum.

§. VIII. Ceterum ordo rerum exigit, vt, pro prouinciarum diuersitate, singula distinguamus in classes &, prout quodque, in *Silesiæ* turbis & *tribunalibus*, euenit, bona fide enumeremus, expositis & euolutis iuribus simul. Caput

Caput I.

IAEGERNDORFENSIS ducatus *Regi Porussiae & Brandenburgicae* genti ADSERTVS omnino.

§. I.

Causa initii a *Iaegerndorfensi.*

A IAEGERNDORFENSI *Brandenburgico* atauito ducatu, in Silesia sito, initium faciendum est ideo: quod *Austriacae* domus truculentiora hic specimina historia prodat, quibus ille *Brandenburgicae* genti, per vim, fuerat ereptus &, violenta vsurpatione, detentus adhuc. Idque per longum totius seculi interuallum.

Acquisitio ejus a *Georgio* marchione *Brandenburgico.*

§. II. Historia rei ipsius haec est. Emerat *Iaegerndorfensem ducatum* marchio *Brandenburgicus*, GEORGIVS, pius cognomento, an. 1524. Nam autor ei fuerat, ad hunc contractum ineundum ipse LUDOUICUS, *Bohemiae rex*, cognatus eius ac uitae principis, olim minoris, moderator. Gesit ei morem GEORGIUS atque dynastias, in *Hungaria* acquisitas, uendidit pecuniamque, inde acceptam, uertit in *Iaegerndorfensem* dacatum. Hac potissimum causa motus; quod *Iaegerndorfensia* quaeque habitum induerint *feudi haereditarii & alienabilis*, de quo disponere liceret possessori tam per contractus inter uiuos, quam mortis causa, per ultimam uoluntatem. Neque enim consultum ei uidebatur alias; *allodia Hungariae* commutare cum terris, *rigori* iuris communis feudalis, subiectis & grauatis onere hoc eodem nexuque clientelari.

Consilio & Indulgentia *Regis* 1524.

ut feudum *alienabile* & *testabile.*

§. III.

§. III. Paruerat tum IAEGERNDORFENSIS ducatus familiae illustri de *Schellenberg*, paulo obaeratae. Vt adeo his aliisque, quorum intererat, pretium conuentum solutum esset receptusque ducatus in *Brandenburgicam* GEORGII marchionis ditionem.

Solutio contenti *pretii.*

§. IV. Vti autem plurium *Silesiae principatuum* haec iura fuerant; vt, nexu *feudali* saluo, *proprietas* eorum remaneret vasallo, ad disponendum & alienandum, nihilominus: ita quoque euenit hoc idem in *Iaegerndorfensi ducatu.* Qua lege & conditione marchio Brandenburgicus, *Georgius pius* illo inauguratus est eique adeo adsignatus locus & suffragium in Silesiae principum prouinciali conuentu.

Hinc *inauguratio Brandenburgici* M. & adoptio in principum Silesiae *comitiis.*

§. V. Mortuo LVDOVICO rege, eius successor FERDINANDVS I. postea imperator, an. 1527. iura quaeque eidem marchioni confirmauit habuitque rata, quae indulserat paulo ante, decessor eius, rex *Ludouicus.* Perstiterat inde *Brandenburgicus* marchio GEORGIVS in quieta legitimaque possessione IAEGERNDORFENSIS ducatus, patrimonii sui. In quo feliciter regnando vertendoque omnia in meliorem statum, continuauit ille, ad mortem usque, an. 1543. insecutam. Procuratis ciuium & subditorum fortunis, palatio extructo, insignis magnificentiae, in posteris duraturae, monumento.

Confirmatio *Ferdinandi I.* 1725. & *Brandenburgici* M. regimen gloriae plenum ad an. 1543.

§. VI. Superat ei filiolus unigena, GEORGIVS FRIDERICVS, quadrimulus, natus 1539. Dubitabatur de illius *tutela*, quam sibi adrogauerat in Franconia *Albertus*, cognomento *Alcibiades*, iure agnationis legitimo. Quae tutela

Succesit *Georgius Fridericus.*

cuius litigiosa *tutela.*

tutela cum *Ferdinando* regi, plurium causarum ergo, suspecta videretur, absentis puelli principis reditus, in *Iaegerndorfensi* ducatu, *sequestro* addixit interim.

Recipit quaeque *major.*

§. VII. Quam primum uero hereditarius princeps adoleuerat, anno 19 aetatis illico idem ille rex *Ferdinandus I.* eum non solum, in *paterno* ducatu *Iaegerndorfensi*, sponte recepit; sed etiam reditus, sequestratim collectos, restituit eidem omnes ex asse. Ne quid irae uel odio, in manifestissimo iure, dedisse uideretur.

Successoria pacta eius 1599. & 1603 cum *Brandenburgicis agnatis.*

§. VIII. Regimen *Brandenburgico* huic marchioni, GEORGIO FRIDERICO, in paterno ac patrimoniali ducatu IAEGERNDORFENSI, longinquum & felicissimum fuerat; sed, interatum licet *matrimonium*, ei parum fœcundum ac sine prole. Mortis itaque, in senectute, memor, IAEGERNDORFENSEM ducatum gentilibus suis BRANDENBVRGENSIBVS MARCHIONIBVS destinauit, PACTIS SVCCESSORIIS semel iterumque repetitis an. 1599. atque 1603. Ne aliquid dubitationis, post eius obitum, ullatenus posset supereſſe aut suboriri.

Elector *Brandenburgicus* an. 1603 *Iaegerndorfensem* D. accipit in suam potestatem.

§ IX. Eodem hoc iure usus est quoque princeps elector BRANDENBVRGICVS, gloriosae memoriae, IOACHIMVS FRIDERICVS. Qui, mortuo *Georgio Friderico*, sibique ideo delata successione, fiduciarium IAEGERNDORFENSEM DVCATVM in ditionem potestatemque suam recepit; *homagio* ei praestito receptoque a subditis & ordinibus uniuersis, bona *pace* & *regum* Bohemiae *consensu* adplausuque. Nemine dissentiente aut dubitante de *gentilitio ducatu*, illato BRANDENBVRGICAE DOMVI, iure, tot

tot pactis & indulgentia Bohemiae regum, abunde corroborato. Ducatui innexae fuerant plures in Silesia dynastiae, *Beuthen*, *Lubschutz*, *Oderberg*, *Tarnowitz*, aliaque, eodem accessorio iure; quod indolem sequitur sui principalis, solenni iureconsultis formula. Cum *accessoriis dynastiis.*

Elector *Iaegerndorf* paragii iure tribuit *filio* 1607.

§. X. Interim IOACHIMVS FRIDERICVS princeps elector Brandenburgicus IAEGERNDORFENSEM ducatum anno 1607. *paragii* instar, ut Germaniae iureconsulti loquuntur, *filio* secundo genito IOHANNI GEORGIO adsignauit. Partim, quod ciuium Silesiae uota essent, habendi in patria secum regnatoris; partim, quod ille princeps spe excidisset *Argentoratensis episcopatus*, machinationibus sacrorum collegarum, qui suffragiis suis uicerant, in episcopo eligendo, qui Romanae ecclesiae esset addictus. Quod cum ita euenisset, saluo fideicommissi & gentilitiae successionis nexu; ne princeps *paragiatus* uel aere alieno oneraret IAEGERNDORFENSEM ducatum uel illius alienaret latum unguem; aduersus gentilitia interdicta, *pragmaticam Brandenburgicae gentis sanctionem*, die XI. mensis Iulii 1603. *Gerauiae* instauratam ideo, firmatamque ab *Austriacis imperatoribus* & *regibus Bohemiae* uniuersis ac singulis, per augustales codicillos.

Saluo *gentilitiae successionis* nexu.

Ira *Ferdinandi II.* in *Ioannem Georgium* & ejus *proscriptio* 1623.

§. XI. Maxima hujus ducis, inter Silesiae principes, fuit autoritas & in comitiis primus ei locus. Fit igitur, ut ille, in motibus belli Bohemici, necessitate pressus coactusque, operas addicerer electori palatino, regi, ut credebatur, nouello. Hinc perduellionis incusatus fuerat ideo a *Ferdinando II.* rege, ab eoque semel iterumque pro-

scriptus

scriptus an. 1623. atque *Iaegerndorfensi* ducatu patrimoniali destitutus est. Obiit autem ille anno post 1624.

Innocentia filioli *Ernesti* punita.

§. XII. Reliquerat is filiolum, uix infantia maiorem, ERNESTVM, peccare nescium. Cuius innocentia permouit plurimos Germaniae principes: ut, de pacando reconciliandoque principe puello, soliciti essent; quod, patrum delicta in filiis uindicare, diuino eloquio minus uideretur concinnum, accederetque; quod, in gentilitio hoc ducatu, causa succedendi non a patre sit requirenda; sed a maiorum prouidentia. A parente ideo quemadmodum nulla succedendi; ita nec admittendi, principatus atauiti, legitima causa. Verum precibus suis nihil proficere poterant, cum occasio, aduersis sacris addictissimo principi, ualde opportuna uideretur, BRANDENBVRGICIS in *Silesia* principibus imponendi finem. Inter quae certamina ipse princeps ERNESTVS improlis obiit anno 1642.

Quo mortuo anno 1642. *Iaegerndorf* redit ad *Brandenburgicam* gentem.

§. XIII. Nemo rerum iuriumque gnarus iam dubitare poterat; stirpe delinquentis aut inculpatae familiae, extincta, IAEGERNDORFENSEM gentilitium ducatum ad electorem *Brandenburgicum*, simultaneae *inuestiturae* & gentilitii *fideicommissi* iure, ita deuolutum esse; ut non solum proprietas & dominium; sed ipsa etiam possessio eidem obuenisset. Nihil igitur omisit FRIDERICVS WILHELMVS M. quod facere posset, ad agendum & urgendum iura manifestissima neque ullius dubitationis umbrae exposita: sed obdurauerant aures Austriaci administri, ob principis electoris inusam illis uiciniam.

Suspendit rem tricennale bellum

§ XIV. Nondum eo tempore extinctum fuerat belli tricennalis, in Germania, incendium. Igitur calamo magis, quam

quam armis, in hoc iure, fuerat agendum. Praesertim quod Austriaca domus Brandenburgicae faceret spem; componendi litem olim, post pacem Germaniae restitutam, idque ex aequo & bono, causis rerum expensis idoneo tempore.

Westphalici pacificatores *restitutionis* faciunt spem.

§. XV. Westphalicae pacis arbitri hoc argumentum, quodam iuris axiomate, declinarunt: ne quid materia pacis esset, quod non fuisset causa belli. Praesertim in re, cuius spem facerent ipsi *Austriaci* administri, ad sedandam, bona gratia, litem, finito Germaniae bello.

Quae tentanda per *austregas*.

§. XVI. Submonuerunt aliqui: pacta maiorum uelle; ut, si aliqua inter *Bohemiae* reges & *Brandenburgicos* marchiones oriretur contentio; illius compositio tentaretur per arbitros, Germani *Austregas* dicimus, qua etiamnunc uia esset eundum. Sed recusarunt compromittere *Austriaci*, quod malae causae tutius esset consulendum, tracta *mora*.

Manifestum ius nec altioris indaginis

§. XVII. Brandenburgici praeterea administri, superflua iudicia fore, reposuerant, in causa, ipso iure, liquida; cui parendum potius, quam litigandum de ea temere. Restituere, cum iniuria occupatum, atauitum patrimonium agnatis *Brandenburgicis*, iustitiam uelle, nulla iuris umbra temerandam aut inuoluendam, conflictui forensi. Accedere, quod neque *laudum* aut ludiciaria sententia aliquid profecerit, in litigio cum potentiori: nisi, rerum ualidus, praesto sit eius executor. Frustra aperiri uiam, nisi pareat simul illius exitus; qui uideatur praeclusus esse, ob aduersae partis paratam uim.

Repositio ad exprobratam

§. XVIII. Etenim faciamus tamen argutiolarum eius generis periculum aliquod? Aerem fibrabunt iniquissimae

caulae

1) *feloniam*,

cauſae patroni, athletae inanes, in liberi iudicii tutique arena. Cauſae enim, ob quas BRANDENBVRGICAE gentis marchiones deſtitutae IAEGERNDORFENSI ATAVITO PATRIMONIO, duplicis fingantur generis. Unum ſit exprobrata *Iohanni Georgio* FELONIA, id eſt, perfidia uaſalli, commiſſa in dominum: cuius adhaeſerit ille fatali hoſti merueritque ideo beneficiario ducatu deſtitui ac priuari. Inanis opera eſſet, ſi quis cauſam agere uellet principis incuſati & ſtatim poſt defuncti, deleto, morte eius, omni reatu. Sed tamen filioli ſui, *Erneſti* infantilis aetas & innocentia meretur omnino apologiam. Graue eſt & iuri diuino incongruum, ob patrum delicta in filios animaduerti, nulla labe contaminatos. Sed humana etiam lege iniquum; proferre poenam in *fideicommiſſaria* bona, *genti* propria, non delinquenti *gentili*. Acceperat IOANNES GEORGIVS hunc in Sileſia ducatum, non ut *perderet* eum, contractu aut delicto; uerum quo uteretur frueturque illo, ad neceſſaria ad uictum & cultum, principe dignum. Reditibus igitur, ſi quid deliquerat, priuari poterat, ad uitae dies: ſubſtantia feudi, ut iureconſulti loquuntur, ſalua ſemper genti. Verum ſit, quod debeat ſentire poenam obnoxii patris etiam filiolus? Annon irarum & uindictae uel hoc ſatis? Contra agnatis collateralium gentilium, in domo *Brandenburgica*, quid potuit criminis alieni imputari? Cuius illi, nullo unquam modo fuerant participes. Illud igitur horrendum & execrandum omni aeuo ac orbi; quod, extincta rei, ut habebatur, principis poſteritate, ATAVITVS Sileſiae duca-

Collaterales Brandenburgicos tangentem nullo modo.

ducatus IAEGERNDORFENSIS fuerit BRANDENBVRGICIS ELECTORIBVS, hoſtilis inſtar ſpolii, iniqui manifeſtique, praereptus &, uiolentisſima uſurpatione, detentus adhuc.

§. XIX. Alterum genus imputati reatus ſit *crimen laeſae maieſtatis*, quod omnino execrabile eſſe ſolet, in ciuili ſocietate; cuius uinculum eſt unicum conſeruatio fidei, a ciuibus ac ſubditis ſuo principe iuratae. Verum, hoc etiam fulmine, ruunt iterum rei tantum, non reorum poſteri; quibus ea tunc negantur, quae in defuncti heredio, barbaro uerbo, libero *allodio*, fuerunt; ſaluis, poſt fiduciarii heredis mortem, ſiue ciuilem ſiue naturalem, fideicommisſis gentilitiis ſucceſſori *fideicommiſſario*. Quod dicendum fuerat in gratiam principis infantilis ERNESTI. Verum quid etiam haec ad BRANDENBVRGICVM ELECTOREM, gentilem ex latere? Huic certe, mortuo facinoris imputati reo eiusque filio unigena, ATAVITVM PATRIMONIVM IAEGERNDORFENSE, nullo iuris tegumento, poterat negari. Acerrimae aduerſus hoc crimen leges ſunt; ſed in reos tantum & reorum poſteros, necquicquam in conſanguineos alterius lineae. Non Romanus, non barbarus legislator hoc ſanciunt. Ut adeo alius generis haec iurisprudentia ſit, extra humanae mentis juſtitiaeque ſphaeram.

II. Laeſae *Maieſtatis* crimen.

§. XX. Illud ſerum eſſet, in contentionem uocare: num IAEGERNDORFENSIS ducatus potuerit BRANDENBVRGICIS electoribus olim deferri ſucceſſoriis pactis? Nam agnouit hoc ipſum eo tempore *Bohemiae rex*, quod IOACHIMVS FRIDERICUS *elector* an. 1603. hoc eodem gentilitiae ſucceſſionis iure, eundem hunc IAEGERN-

Iaegerndorf olim & nunc eſt fideicommiſſum.

DORFENSEM ducatum in ſuam recepit poteſtatem: idque bona gratia & pace regis regnique Bohemiae Sileſiaeque ordinum. Quod ſupra dictum cap. 1. §. 10. Neque enim IAEGERNDORFENSIA, alia conditione aut lege, acquiſiuit GEORGIVS marchio, quam ſub *feudi alienabilis & teſtabilis indole*, ſermone iureconſultorum.

Facultas diſponendi de ſucceſſione in *Iaegerndorfenſi* ducatu.

§. XXI. *Poterat* ergo ultimus poſſeſſor IAEGERNDORFENSIS *ducatus* ſucceſſorem ſibi ſuum *nominare*, pro ſuo libitu & arbitratu: *uoluiſſe* autem hoc facere eundem, PACTA SVCCESSORIA teſtantur GEORGII FRIDERICI, anno 1599. iterumque an. 1603. inita, cum domo *Brandenburgica*, uinculo nexuque, aeternum duraturo. Quid? quod Brandenburgicus elector, IOACHIMVS FRIDERICVS illud, iure ipſo uſuque, probauerit. IAEGERNDORFENSI ducatu, mortuo ERNESTO, domui *electorali* illato, quod commemoratum eſt ſupra Cap. 1. §. 9. ſublataque alienandi facultate, nullo unquam tempore indulgenda poſteris.

Ipſa *diſpoſitio* iterata.

§. XXII. Vltimum effugium, ſi quis in *praeſcriptione* & temporis interuallo, ſumpſerit, illud facile eſt, ad praecludendum. Principio enim regalis tabularii monumenta docent, poſtulationem huius iuris, nullo unquam tempore, fuiſſe intermiſſam; electoris Brandenburgici legatis, ideo toties quoties inſtructis, ad auguſtiſsimum imperatorem. Ut adeo argui nequeat *Brandenburgica* domus alicuius, iurium horum, neglectus. Et quis *bonae fidei* habuerit poſſeſſorem ducatus alieni, in tanta *iuris* claritate; *hiſtoriae* euentorumque luculentia; tot *libellorum* numeris, memoriisque legatorum; imo numorum *oblatione*, ſemel iterumque repetita, pro

pro redimenda hac lite? Unde facile conuinci poteſt aduerſa pars, de *rei alienae ſcientia* & Brandenburgici patrimonii, *Iaegerndorfenſis* ducatus, proterua uſurpatione; habendi tantum cauſa, improba cupidine, continuanda porro, ſine iuris ullius legitimo uel, inanium ſpecie tantum, conſpicuo argumento. Sed quorſum Auſtriacae domus adminiſtros non dimouit? concepta uerſus Brandenburgicos principes, *Sileſiae* uicinos, atra bilis!

Inter principes *intempeſtiue* non agendum

§. XXIII. Non igitur iura; ſed praepotentia *Auſtriacae* domus, *Auguſtali fulcro* corroboratae, retinuit *Brandenburgicam* domum; quin uindicaret ſibi, re ipſa, *atauitum*, in Sileſiae *ducatibus*, *patrimonium*. E re autem, uel nunc, erit, tempori inſeruire ſibique adſerere, omnino; quod, integri ſeculi ſpatio, alieno dominio fuerat relinquendum: idque iuſtitia admonente, ſi mitioribus remediis, quæ fruſtra olim tentata, uti non licuerit, fortiori quoque manu. Si, quod aequum ac iuſtum, ſperare licet, credibile eſt, *Auſtriacam* nunc domum, ad reddendum & pacandum, aequiorem: memoremque fore, quam damnoſa *Brandenburgicae domui* fuerit longaeua patientia; atque tot commodis & prouentibus ſe, tanto tempore, ſenſiſſe deſtitutum. Quae aeris ſummae: ſi annuatim tot auri tonnas confecerunt: ſeculi totius ſpacio, in quot quaeſo excreuerit myriades? Quod cum ita ſit; culpa omni uacabit, ſerio nunc rem agi; cum iactura haec diſſimulanda adhuc & ferenda fuerit patienter, metu naufragii maioris a praepotente domo. Fremant interim illi, qui moerent aliorum bonis ac incrementis, dubitantque reſtituere ea, quae per iniuriam aliis ſunt erepta & uſurpata adhuc? Indicio certe pruden-

prudentum, qui iure ſuo tempeſtiue utitur, iniuriam facit nemini.

Caput II.

TRIGA SILESIAE DVCATVVM LIEGNIZ, BRIEG ET WOHLAV. CVM ADNEXIS DYNASTIIS PATRIMONIVM ATAVITVM REGI PORVSSIAE ATQVE *Brandenburgicae genti* adſertum & uindicatum.

§. I.

Liegnicenſiam principum *ſummatus.*

Principio imis ſenſibus eſt notandum & praeſtruendum; LIEGNIZENSIS, BRIEGENSIS & WOHLAVIENSIS prouinciarum, Piaſteae ſtirpis, PRINCIPES ac dominos olim fuiſſe; nulli humanae poteſtati addictos ſubiectosque; ſed liberos potentatuque inſtructos populi ſui regnatores. Neque enim uel *Poloniae* uel *Bohemiae* regno paruerant illi, ulla ratione ac nexu uel obſequii uel clientelae.

Clientelaris *Bohemiae* R 1329. factus.

§. II. Sua igitur liberrima uoluntate, neque iure obſtricti neque enacti per uim ullam, ſe populumque ſuum adſtrinxere, ad fidem colendam *Bohemiae regi*, IOANNI, *Luzenburgicae ſtirpis* an. 1329. Quod idem, re uerbisque, agnoſcit in fiduciario libello, ipſe rex. Idque formula, quae ſequitur: *Liegnizenſes duces obtulerunt terras ſuas Bohemiae regibus in feudum ſponte receperuntque illas, pro ſe poſteris & heredibus ſuis, ut feudum mere hereditarium, cum omni iure ac*

Saluo *patrimoniali* iure.

ac libertate. Qua patrimonium hoc & heredium ſuum poſſederunt olim, ſic poſſideant etiam deinceps porro ſine fine. Num. I. *adpendicis.*

Inde a *gratia* feudis differentia.

§. III. Sicque facile eſt, adintelligendum; quam longe differat haec patrimonialis principatus *oblatio* tam a Romanorum clientelaribus *beneficiis*; quam a *fiduciaria* lege Longobardorum ceu *gratiae* feudis, quae *data* & *beneficiata* audiunt iureconſultis. Nam accipit hic dominns nilque dat uel confert: contra, in ultimis, nil habet uaſallus, quod non *gratiae* & *indulgentiae* debeat largitoris domini. Quantum igitur abeſt, dominum ſua iactare uoluiſſe illaque conferre heredibus uaſalli & poſſeſſoribus quibuscunque: ſic credibile eſt contra, principem non ſubiturum fuiſſe *feudale iugum*, niſi *proprietate* ſulua ſui principatus. Iureconſultorum igitur praecepta clientelaria uertenda hic ſunt in gratiam, fidelitatis nexu, conſtricti principis. Ut adeo, praeſertim in ſyſtematibus Sileſiae iureconſultorum, *proprietatis feuda* & *feudalia patrimonia* frequentisſima ſint, inaudita licet ignotaque iuri communi.

& libera *alienandi* facultas teſtatissima regalibus *codicillis.*

§. IV. Verum enimuero, in *Lignicenſinm* principum clientela aeſtimanda, ne quidem opus eſt uerbis ac formulis iurisprudentiae uulgaris; in *datorum* & *beneficiatorum* feudorum definiendis diſcriminibus atque differentiis. Ipſi *Bohemiae reges* hoc agnouerunt, in litteris clientelaribus: quod, licet nefas ſit *uaſalle*, alias, feudale *territorium* alienare, niſi *domini* ſuperioris requiſito & accepto *conſenſu*; contra principibus *Liegnicenſibus* liberae tamen hic ſint manus, ad *alienandum principatus* ſuos, uel integros uel illorum aliqua parte. Verba ipſa ſummatim recitanda; ne quid du-

WBP Opole

 bitatio-

Num. II. *adpendicis.*

bitationis posſit ſupereſſe. Eſt enim regis VLADISLAI *codicillus*, anno 1511. his uerbis conceptus:

> *Alienandi iura Liegnicenſes duces, inde ab initio, ſuſceptae clientelae, ſemper habuiſſe: uerum accedere nunc iura teſtandi ac diſponendi, perultimam quoque uoluntatem.*

Primum, dicitur hic, iuris fuiſſe *originalis*; alterum uero iamnunc conferri ex *indulgentia* ſingulari.

Omni *iure* indultis nulla rei *difficultate.*

§. V. Quod cum ita ſit, ita autem eſſe, haec plena fidei monumenta docent: omnis difficultas ceſſat, quam mouere hic ſolent alias. Principio enim perhibent rerum ignari: indulgentiam alienandi nexum tollere aut certe nimium laxare clientelarem, adeoque *privilegium* habendum eſſe pro enormi. Verum licet hoc legis non ſit; quis negauerit, tamen hoc fieri potuiſſe pactis ac conuentis. Ita autem *Liegnicenſes* duces pepigiſſe cum *Bohemiae regibus* principio ſtatim; quo *principatus* ſuos regno *Bohemiae* obtulerunt in clientelam an. 1329. cum formula clientelaris (*cap. II. §. 2.*) docet; tum regis Bohemiae VLADISLAI *regalis* codicillus an. 1511. (cap. II. §. 4.) Eſt autem iurisprudentiae feudalis arguendi is ordo: ut, in iudicanda aeſtimandaque litē, principio inſpiciantur *uerba* clientelaris *libelli*, quod haec derogent *legibus* omnino; quemadmodum contractibus uoluntates contrahentium ſunt ipſa lex. Taceo, quod in mores hoc iuerit plurium Sileſiae principatuum aliorum; in quibus nouo principi uaſallo eiusque poſteris indultum aut reſeruatum hoc; ut penes eum ſtet nihilonimus alienandi facultas. Quod exemplis probari poſ-

Adpendicis Num. I.

Num. II.

ſet; niſi confeſſio ipſorum Bohemiae regum ſit probationum regina.

Tricae augutiarum ab *alienando* ad *teſtandum.*

§. VI. Alterum eſt, quod urgent; a iure *alienandi* ad *teſtandi* facultatem, conſecutionis nullum fore uinculum. Damus hoc. Nam, Luſatiae moribus, ubi pariter uaſallis libera eſt poteſtas alienandi; non tamen ideo de feudis *teſtari* licet. Unde requiri ante ſolet a parum ualido uaſallo; ut, alienandi cauſa, rectae ualetudinis faciat periculum, equitando aut certando in publica arena. Ne cauſa mortis inuoluatur ſimulato inter uiuos contractui. Sed hoc idem illud eſt: quod *Bohemiae reges* in regalibus codicillis ſemel iterumque declararunt: *Liegnicenſibus ſemper ducibus olim, per contractus inter uiuos de principatibus ſuis in totum & ex parte, diſponere licuiſſe,*

> *ſed idem poſt etiam illis fore licitum per VLTIMAM VOLVNTATEM.*

His enim uerbis ac formulis concepti ſunt ipſorum BOHEMIAE regum libelli,

VLADISLAI anno 1511. atque
LVDOVICI *anno* 1522. iterumque *anno* 1524.

Adpendicis Num. II. Num. III. IV.

Qui dubitandi umbram omnem diſpellunt.

Apud gentes *teſtamentorum* ignaras.

§. VII. Illud uerum eſt; *iura barbara*, quae dixerant *Romani, ultimam* morientum *uoluntatem* parum attendiſſe. Cum ſanae rationi uideretur incongruum eſſe; eius, qui deſiit uelle, obſequi voluntati. Haec ad dubitandum cauſa fuit: an, ſi licuerit rem iuraque ſua per *conuentionem* inter uiuos, in alium transferre; liceret idem etiam, per ultimam uoluntatem, in *teſtamento?* Uti igitur primum ſem-

Num. II. Num. III. & IV.

per liquit LIEGNICENSIBVS ducibus: ſic ultimum eis fuerat indulgendum regalibus *codicillis* annorum 1511. 1522. 1524. Cap. II. §. 6. commemoratis.

Utrinque *Ferdinandi* confirmatio an. 1529. *ſuperflua.* *Num. V.*

§. VIII. Eſt igitur, in hoc argumento, *utilis* confirmatio ipſius FERDINANDI I. regis, qua anno 1529. omnia *Liegnicenſium iura priuilegiaque* habuit grata rataque, diplomate ſingulari: necquicquam uero *neceſſaria.* Nam poterant *Liegnicenſes* duces de *principatibus* ſuis diſponere eosque in alios transferre; contractu, ceu naturali, ueri dominii, claro effectu, necquicquam ſublato, per ſuſceptam *clientelam*, quod oſtendimus *cap. II. §. 2.* Acceſſit quoque liber *teſtandi* modus; non tam ob noue indultum priuilegium, quam extra dubitationem ponendas argutias legiſtarum, per *regales* codicillos, *cap. II. §. 4.* enumeratos neque ſcriptos ſine cauſa: ſed ob bene merita, expenſa & aeſtimata rite a primariis rerum adminiſtris. Ne opus eſſet noua uel FERDINANDI uel alterius regis ullius inſtaurata indulgentia.

In pactis *ſucceſſoriis* inter *Brandenburgicam* & *Liegnicenſem* domum Anno 1537.

§. IX. Hoc igitur praeſidio, tot pactis priuilegiisque munito principi, FRIDERICO, duci Liegnicenſi, quis quaeſo! uertere poterat uitio: MVTVAE SVCCESSIONIS foedera eum inire, cum glorioſisſimae memoriae *principe electore Brandenburgico*, IOACHIMO II. idque maturo utriusque principis adminiſtrorum conſilio ſuaſuque & adplauſu ſubditorum ordinum; non excitato temere; iurisiurandi religione ſancito, tam paciſcentium principum, quam obſequentium ſubditorum & prouincialium ordinum, conſenſusque unanimis optima harmonia. TABVLAE CONFRATERNITATIS conceptae & exaratae ſunt litteris, in *Liegnicenſi*

Num. IV. Adpendicis.

cenſi metropoli, die ueneris poſt ferias S. Galli an. 1537. ſubſcriptoribus & *Brandenburgico Electore* IOACIMO & duce *Liegnicenſi* FRIDERICO, cum filiis principibus FRIDERICO & GEORGIO. Acceſſerat his iurisiurandi formula ſolennnis, his uerbis concepta & ſacerrimo ritu, iureconſultorum ſermone, *actu corporali*, praeſtita & recitata, digitis eleuatis ad DEVM, uindicem periurii grauem iuſtumque.

In quorum *ſanctione* plura *ſingularia.*

§. X. Inueniuntur praeterea, in his CONFRATERNITATIS & SVCCESSIONIS MVTVAE TABVLIS, ſingularia plura. Nam principio ſtatim 1) laudantur, in illis, *cauſae* idoneae, ad illa pangenda & colenda deinceps; utpote utriusque principis maiorum contracta inuicem & perpetuata amicitia; deinde 2) *matrimonia* ultro citroque repetita; tum 3) adminiſtrorum conſultisſima *ſuffragia*; porro 4) *conſenſus* & *adplauſus ordinum* prouincialium, *nobilium* & *praelatorum*, utriusque claſſis; praeterea 5) paciſcentium ipſorum iurisiurandi religio, firmata ritu ſolenni *actuque corporali*, digitis eleuatis ad DEVM, periurii uindicem; poſtea 6) *homagium*, iuratum pariter a *Liegnicenſibus* ordinibus & ſubditis *Brandenburgicae domui*, ſi caſus ita euenerit; non minus 7) reciproca *bilateralis* ſponſio, ad ſuccedendum *Brandenburgicae genti* in *Liegnicenſi*, *Briegenſi* & *Wohlauienſi* principatibus hisque adnexis dynaſtiis; contra *Liegnicenſibus ducatibus* in *Brandenburgicis*, clientelari nexu Bohemiae regno addictis territoriis; acceſſit 8) *fratris* cognomentum, non familiari inter principes ſermone tantum; ſed etiam curiali uſu adhibitum eo fine; ut, eueniente caſu, obligatio haec non tam *contrahentes* tangeret; quam ipſos *principa-*

tus; demum 9) ne ſucceſſoria haec pacta *obligatoria* tantum eſſe uiderentur; ſed 10) in *reali* conſiſterent *nexu*, ad principatuum, *Liegnicenſis*, *Briegenſis*, *Wohlauienſis* & adnexarum illis clynaſtinarum, poſſeſſionem illico occupandam & tenendam aeterno iure deinceps.

Ad infringendas *confraternitatis* tabulas *Bohemiae* ordinum *tricae.*

§. XI. Tot igitur uinculis rerum iuriumque atque *regalium indulgentiarum* corroborato ſucceſſorio foedere, quaeſo! quid poterat ad firmitatem eius deeſſe? Verum enimuero obfirmauerant animum ſuum Bohemici adminiſtri, ad praecludendam *Brandenburgicae* domui uiam: ne horum *Sileſiae* principatuum participes fierent olim. Peſſimi, quod dici ſolet, conſultores ſunt, ita & cupido habendi. Inanium igitur ſpecie fuerat agendum & excitandi *Bohemiae ordines*, ad intentandam *Liegnicenſibus ducibus* temerariam & uere ſimulatam tantummodo litem. Illud, uelut ex tripode, falſi oraculi inſtar, producendum fuerat in forenſem conflictum: *Liegnicenſem, Briegenſem & Wohlauienſem ducatus, Bohemiae regno ita innexos eſſe, ut queant inde nullatenus eximi aut reuelli.* Dictum factum. Sententiam ferendam inde: *non licuiſſe Liegnicenſi duci haec ſucceſſoria pacta inire cum Brandenburgicis electoribus adeoque illa caſſa & irrita habenda & pronuncianda omnino.*

Tricarum ſolutio ac *diſpulſio,*

§. XII. Quisquis, recta mente praeditus peritusque fuerat rerum iuriumque *Sileſiae* principatuum uel uniuerſim uel ſigillatim *Liegnicenſis, Briegenſis & Wohlauienſis ducatuum* intellexerat quoque huius poſtulati naenias & iniquitatem, uſu cognitam & olim & poſt. Principio enim principatuum *Sileſiae* plurium quoque aliorum ea fuerat indoles;

1] *exemplis teſtatiſſimis* alias.

indoles; ut *ſucceſſoria pacta* eis eſſent liberrima, cum principibus aliis nullaque interdicta lege. Praecipue autem *Liegnicenſibus ducibus* idem hoc fuerat, principio ſtatim ſuſceptae a Bohemiae regibus clientelae, prouiſum; ut, ſaluo, in poſſeſſoribus quibuscunque, clientelari nexu, principatus poſſent in alios libere transferri. Neque contractu inter *uiuos* ſolum; ſed etiam ultima, per *teſtamentum*, uoluntate, id quod ſemel iterumque dictum & comprobatum *regalibus codicillis*, ſub finem recitandis in huius *opuſculi adpendice* uerbatim idque in uernacula, ne illius uerſio in ſermonem Latinum, uideri poſſet lectoribus ſuſpecta. Deinde, ſi quid dici aut fingi poſſet de *Bohemiae regni priuilegiis*, non reuellendorum a corpore principatuum, illa necquicquam priuare poterant *duces Liegnicenſes* iuribus ſuis *quaeſitis* conuentisque olim idque principio ſtatim agniti nexus clientelaris. Accedit, quod eius etiam generis naeniae fruſtra opponerentur in hac cauſa; quae illas, falſi parentes licet, necquicquam uoluerant laedere aut ferire. Sit enim, *Sileſiae* principatus nullos *ſubducendos Bohemiae regni* clientelae. Sed hanc ipſam ſubire oportuerat *Brandenburgicos, Liegnicenſium* ducum confoederatos, ſi illis obuenerit forte ſucceſſio olim. Porro *Bohemiae* regni intererat omnino; ne *Sileſiae principatus*, ei clientelares, carerent regnatoribus, ullo unquam tempore deirceps. Potius, inſtar rei *infeudari ſolitae*, familia regnatri extincta, conferrentur illi aliis, ad conſeruandum ordinum potentiorum numeros & autoritatem cauendumque; ne quid in illis decreſceret unquam, aut, exareſcente unius ſtirpe,

2) prouiſione ſingulari LIEGNICENSIVM.

Fide *diplomatum* in opuſculi *adpendicula.*

3) Inuerſione *argutiarum.*

4) tabularum *confraternitatis* cum *Bohemia* regno harmonia.

Cuius intereſt, *numeros* ordinum *non decreſcere* & principatus adſcribi *caducaria* lege, fiſco.

Brandenburgicae gentis in *Bohemia indigenatus.*

stirpe, territoria fisco regali adscriberentur caducaria lege. Praeterea non peregrinos uocauerant hae *confraternitatis tabulae;* sed *indigenas Brandenburgicos marchiones*, fidelitatis nexu addictos olim iam Bohemiae regno alias. Tandem sana ratio prohibet; rumpi pacta priora, tegumento

5) Pacta non rumpi *posteriori* lege.

posteà demum datae legis; quae futura euenta respicit, non preeterita tollit euertitque. Nam *confraternitatis tabulas* scribere licuisse ducibus *Liegnicensibus*, ex primis clientelaribus *codicillis* anni 1329. clarum esse semel iterumque firmatis adauctisque, indulgentia regali, scripsimus suo loco superius.

Sententia FERDINANDI 1546.

§. XIII. Quicquid horum sit fueritque olim. Cedendum fuerat LIEGNICENSIBVS ducibus praepotenti regi, FERDINANDO, aduersae partis tutelari, actori autorique huius scenae. Nam tulerat ipse sententiam, ad sensus aduersae partis aut in sui potius ipsius gratiam, hac formula scriptam promulgatamque: *non licuisse duci Liegnicensi, pacta successoria inire cum Brandenburgico electore; quicquid igitur sponsum, promissum, actum, praestitumque fuerit, illud irritum ac nullum haberi ac pronunciari ui regiae & iudiciariae potestatis* & quae reliqua sunt. Datum *Vratislauiae* die 18. mensis *Maii* 1546. Sententiam ipsam uerbatim dedimus in adpendice, sub numere VII.

Contestatio Brandenburgici administri aduersus *sententiam* clara uoce, adprobata *iudicis silentio.*

§. XIV. Non e re uidebatur *regi FERDINANDO, Brandenburgicum* principem electorem, in hac causa, eum tangente omnino, uocare in ius pariter. Poterat itaque formula is iureconsultorum, acquiescere: *contra me non est uel actum uel iudicatum.* Erat tamen *Brandenburgicus* administer

nister illo die, quo promulgatio sententiae, solenni ritu, facta praesens corpore animoque: ut proriperet se e turba cum notario & testibus ad solium regale, contestareturque publice clara uoce: *sententia ipso iure nullam; cum lata sit, parte, cuius interfit, neque citata neque audita. Saluum fartumque fore successorium ius Brandenburgici principis electoris etiam deinceps; si casus ita euenerit olim.* Audiuit haec FERDINANDVS *rex* neque tamen uel orantem interpellauit uel regessiit ei uerbulum. Ne contradicendo commoueret murmurantem populum causaeque iniquitas pateret amplius. Paulo enim post manifesta partium studia adparuerunt re ipsa. Nam dux *Liegnicensis* FRIDERICVS, cum filiis ambobus, FRIDERICO & GEORGIO, per maiorem uim coacti sunt; non solum *Brandenburgicae confraternitati* mittere nuntium; sed praeterea polliceri: *ut, extincta eorundem mascula posteritate, principatus omnes Liegniz, Brieg & Wohlau, cum adnexis dynastiis, cederent Bohemiae regi, foeminis heredibus adsignata modica ualde pecunia summa.* Vt uero illud horrere & damnare solent diuina humanaque iura; *ne quis in propria causa iudicet* sustineatque in iudicio duas personas, *partis* & *iudicis* simul *sitque ita autor in rem suam*: ita facile est, ad arguendum & concluendum; sententias, his schematibus offuciisque prolatas, & ratione sana & legum ciuilium autoritate, ipso iure nullas fore neque ullo modo consequi, in formularia etiam *iurisprudentia, iudicati uim.*

partium studia *sententiae* produnt *iniquitatem.*

§. XV. Ipsi *Liegnicenses duces* agnouerunt rei sententiaeque summam iniquitatem. Rescripserunt illi ideo principi electori *Brandenburgico: quicquid in Vratislauiensi tribunali*

Confessoribus ipsis *Liegnicensibus* ducibus.

bunali actum sit iudicatumque, illud factum esse extortumque illis per uim. Quae successoria pacta, iure riteque inita, neque conuellant neque tollant. Quamdiu eorundem masculа posteritas efflorescat, dormire illa. Quod si casus euenerit olim, masculа eorundem prole deficiente, tum demum & actionem nasci & successionem deferri. Quod igitur nunc, per temporis iniuriam & praepotentis aduersae partis uim fieri nequeat; illud forsitan non & olim sic fore. Vt adeo causae iustitia prouidenti numini commendanda in posteris.

Repositio Brandenburgici electoris in *requisitione* olim ad rem facientium *documentorum.*

§. XVI. Interim, mandato Bohemiae regis FERDINANDI, inanium specie, requirunt repetuntque duces *Liegnicenses a principe electore, cum confraternitatis tabulas; tum a triga regum indultos, de alienandis principatibus, codicillos.* Haec enim authentica documenta tradita fuerant Brandenburgicis, in fidei & initae confraternitatis tesseram. Verum negat utrumque princeps elector; idque iure omni meritoque. Respondet enim legatis, ob eam causam Berolinum misis: *pacta haec successoria inita esse legitimo modo ac iure. Firmare eadem non solum indolem conuentionis, in principio susceptae clientelae, regalem codicillum Bohemiae regis* IOHANNIS *Lucenburgici an. 1329. sed etiam semel iterumque a triga regum instauratam indulgentiam* VLADISLAI *an. 1511.* LVDOVICI *an. 1522. atque an. 1524. ipsiusque* FERDINANDI 1529. Accessisse praeterea *iurisiurandi* religionem tam *paciscentium;* quam *ordinum* prouincialium ac *subditorum* utriusque classis, sacrae & ciuilis. Resilire ab illis temere, metu ac minis concussa altera contrahentum parte, illud a boni principis officio fore alienissimum. Posterorum habendam esse ratio-

rationem; ne uel illis male audiat populi regnator, dissipando iura, quae *genti Brandenburgicae* iuste sint acquisita. Ceterum *authentica documenta* iuris & aequi rerumque conuentarum testes fore omni aeuo. Quae ideo in sacris laterculis & tabulariis adserenda & custodienda eo curatius. Spei contractum initum fuisse; quae expectanda & numinis prouidentiae relinquenda & commendanda; uti hominem deceat, maxime christianum. Abesse hic *iniquissima captandae mortis uota.* Atque his uerbis dimissi sunt legati ipsique Bohemiae reges ab ulteriori exactione abstinuerunt. Praesertim cum ducalis *Liegnicensium* stirps effloresceret interim, in mascula prole, numerosa sat; ut decollare aut fallere uideretur successoria *Brandenburgica* domus spes, mortalium iudicio.

Anno 1675. *Liegnicensi* mascula stirpe extincta, tres *Silesiae ducatus* ad *Brandenburgicos* deuoluti.

§. XVII. Euenit autem casus demum successionis, delatae in trigam ducatuum *Liegnicensis, Briegensis & Wohlauiensis, Brandenburgicae genti.* Nam obiit an. 1675. GEORGIVS WILHELMVS cum eoque mascula *Liegnicensium* principum stirps exaruit omnino. Si iure suo uti tunc licuisset *Brandenburgico* omnino electori, *Friderico Wilhelmo M.* potuisset ille, secundum *tabulas confraternitatis,* horum Silesiae ducatuum *possessionem* occupare actudum. Est enim *confraternitas agnationi* & consanguinitati similis: quibus Germanica praesertim institutа, in destitutis possessore territoriis, & *dominii* & *possessionis* iura addicunt. Quod in hac nostra causa, uerius est ideo: quoniam prouinciales ordines & subditi ipsum *homagium euentuale,* quod dicunt, iurauerant hac formula: *se Liegnicen-*

Imo eorundem *possessio* quoque.

sium

ſium maſcula gente extincta, ſtatim obſecuturos marchionibus Brandenburgicis, qui coiuerint cum Liegnicenbus ducibus in unum *parentelam* gentilitiumque familiarum nexum, ne ullo caſu aut *momento Liegnicenſes, Briegenſes & Wohlauienſes ducatus* uacarent principe, rerum domino & regnatore. Verum, cum, quod diximus, eueniſſet, difficillimis bellis implicitus ac petitus fuerat FRIDERICVS WILHELMVS, principio, *Germanici imperii,* cauſa; mox ſuarum prouinciarum ergo, quas hoſtis, nulla iniuria lacesſitus, inuaſerat temere. Quo rerum ſtatu imperatori auguſtisſimo, qua Bohemiae regi, declarauit iura ſua poſſeſsionesque in *Sileſiae ducatibus,* ſtirpe Liegnicenſi emortua. Sed repoſuerunt *Auſtriaci;* belli incendia grauiora nunc eſſe, quam ut cogitare liceret de rebus iuribusque controuerſis; quae, reddita Germaniae pace, expendenda &, aequi bonique norma, componenda tunc.

Cui *bellorum* iniuriae obſtitere.

§. XVIII. Praeuidere poterat quilibet, ſerram eius litis nunc eo acriorem fore, difficilioremque eius euentum: quod neque dum de IAEGERNDORFENSI, ducatu, cuius cauſam egimus *cap. I.* factum eſſet ſatis; cui nunc *triga* accederet LIEGNICENSIVM ducatuum. Ut adeo, momentis rerum, tantopere creſcentibus adauctisque, impeditior foret exitus; ne huius aleae forenſis iactu, amitteretur Sileſiae maxima pars. Iterum igitur, in trahenda mora, capiendum fuerat conſilium & Brandenburgici herois, fortitudinis laude cogniti tum uniuerſo orbi, pacandus animus & alendus ſpe, ſopiendi litem, numeratione aeris, cuius ſumma in tractatibus demum eſſet definienda. Verumſemel iterumque

Litis *incrementa,* ex *nouis* rerum *acceſsibus.*

Iaegerndorfenſia & *Liegnicenſia* quatuor *ducatuum* ſyſtema.

Sileſiaeque magna pars.

Aeri nullus in hac lite locus.

que repoſuere *Brandenburgici* adminiſtri: tot prouinciarum populos iuratos uenum exponere, improbum fore officioque chriſtiani principis aduerſum; ſed uendere illos, cum *Brandenburgicae genti,* pleno illi iure, ſint acquiſiti, gentilitiis interdictis prohiberi. Operam igitur ludi perdique, conditionibus eius generis, a quibus poſthac omnino conſultoque ſit abſtinendum.

§. XIX. Interim nullo unquam tempore *Brandenburgica* domus ceſſat, fatigare, *legationibus* & *libellis, Auſtriacos;* ad reddendum ei *quatuor* Sileſiae *ducatus,* atauiti patrimonii iure, ad ſe deuolutos, cum iniuriaque detentos, &, inſtar rei alienae, uſurpatos reſtituendosque ideo, ad leges nullius fidei poſſeſſorum, cum *fructibus,* ut iureconſultorum ſermo eſt, *perceptis* & *percipiendis* olim, cum iuri huic faciendus fuerit locus aliquando. Diuae memoriae imperator LEOPOLDVS, ob pietatis & iuſtitiae cultum, omni aeuo ac orbi commendandus, requiſiuit ideo a *Liegnicenſium* quondam ducum cancellario, *Friderico* de ROTH, mandati libello ſcripto 2 menſis *Ianuarii* 1684. ut hanc cauſam reſponderet ſingulari opuſculo: *num Brandenburgicae gentis in Liegnicenſes ducatus iura eſſent alicuius momenti, an uero illa, idoneis rerum argumentis, poſſent repelli ac confutari?* Labor *decimeſtris* fuerat; ingenua tamen ratione ita conceptus: ut *Auſtriaci* mallent tegere illum ac diſſimulare; quam producere in publicam arenam, typis ac aere. Multo autem poſt, *libellum Rothianum* acceperunt ipſi *Brandenburgici* adminiſtri. Hic illis tanto carior fuit; cum plurima, contractae anno 1537. cum *Liegnicenſibus confraternitatis* & hinc oriendarum

Soliciti ſem per *Brandenburgici* ad iura in *Sileſiae* quatuor *ducatibus.*

rum litium, argumenta, aliis memoria exciderint; re ipsa cognita fuerint paucissimis. Solet enim, iudicio *Thuani*, Liuii suae gentis ac aeui, hoc ipsum, desiderari in principibus & eorum praecipue administris multoties; ut, praesentibus tantum intenti, eorum, quae antiquiori tempore contigere, nullam fere curam habeant ipsi, nolintque principi suo autores esse, ad alendum homines litteratos iuriumque peritos alios, ad rerum ueteris aeui notitiam acquirendam, e principum tabulariis & conseruandam futuro tempori; si tulerit ita occasio, utendi illis, opportune.

Brandenburgica in tres *Silesiae* ducatus iura cognita *Austriacis.*

§. XX. Illud uerum est, ex quo *Rothianus* libellus, in imperiali curia cognitus lectusque fuerat, plurimos rerum iuriumque administros aequiores ideo redditos atque imperatori augustissimo consuluisse; ne rem hanc aestimaret flocci, aut momenti fere nullius; sed ageret potius hoc; ut ea, bona pace, componeretur neque erumperet in odia ac iras aut serra contentionis traheretur longius iusto. *Episcopi* etiam *Vratislauienſis* epistola, diu antea scripta, habetur in principali tabulario: in qua agnoscit praesul *Brandenburgica iura* gaudetque, illorum administris pleraque eorum incognita esse, quae ad rem facerent instruerentque causam, ex institutis ac moribus, *Silesiae* propriis ac peculiaribus, in principatuum eius territorii indole, iuribus pactisque, a communi iurisprudentia feudali alienissimis omnino. Exinde serius igitur saepiusque tentata est testatissimarum litium compositio & transactio, dato aliquo & retento utrinque. Fuerat tamen *Austriacis* res, periculi plenissima, principi electori *Brandenburgico* uel latum unguem cedere in *Silesiae* territoriis; ne subditi euangelicis sacris addicti, ut suspicabantur temere,

eisque *commendata* ab *episcopo Vratislauienſi.*

Vanus a *Brandenburgico regimine* metus in *sacris.*

temere, nanciscerentur praesidium ex eius uicinia. Praesertim, quod contra *Austriaci* fingerent potius sibi suisque spem; extinguendi illa sacra funditus; parum attenta *Westphalicae pacis sanctione*, in Silesiae euangelicorum subditorum gratiam. Contra *Brandenburgicae genti* religionis axiomata fuerunt suntque adhuc alia longe. Id est, *subditis nullius conscientiae adferre uim; formulariae theologiae christianae cuiuscunque generis ciues omnes fouere ac tueri, sine ullo partium studii discrimine.* Dummodo colerent, suo modo, DEVM & CHRISTVM; principi probarent obsequio datam fidem & officiorum uiuerent memores, quae homo debet homini, ciuis ciui, in societate humana & ciuili. Vetustissimi apud Venetos olim edicti fuerat, uulgi etiam sermone celebrati: *liceat cuique credere, ut cuique Deus dat agnoscere.* Vanus igitur a *Brandenburgico regimine* metus fuerat, christianis hominibus omnibus aequabili omnino.

Eius in *religionis* tolerantia *aequanimitas.*

§ XXI. Sed quemadmodum etiam res paruae &, inanium specie, incrustata consilia occasio esse solent euentorum maximi momenti: ita quoque contigit in tractibus, prima fronte bonis: postea autem, per fallacias, impostura, technas & cuniculos, circumductis: ut causa non composita; sed elusa esse uideretur, modo, gentium iure, irrito ac indigno. Quo enim tempore, pacta cum principe electore, FRIDERICO WILHELMO M. inita sunt *ab Austriacis* anno 1686. de lite, super *quatuor Silesiae ducatibus*, semel iterumque commemoratis, aestimanda & componenda; utpote cessione, territorii *Schwibusenſis*, parui in *Silesia* tractus & *Frisiae orientalis dynastiarum Lichtenstei-*

Tractatus an. 1686. *impostura* portentosae.

tensteinensis fideicommisſi & quae fuerant alia: eodem etiam momento princeps hereditarius FRIDERICVS, poſtea & elector & primus *Porusſiae* rex, praeſtigiis ficti metus & periculorum, inductus eſt; ad nuntium mittendum his ipſis, patri tanta religione ſtatim promisſis, ſi ſuccederet ille, in Brandenburgico electoratu; ad ludificandum paterna conuenta. Verum portentoſi ludibrii huius, prodigioſa ſcena meretur locum ſingularem, in *capite* ſequente.

Cap. III.

TRANSACTAE LITIS ANNO 1686. ATQVE 1695. FALLAX OPINIO.

§. I.

A contractibus *uitia* abſint *nullitatis*

Ad obligandum alios, non ſufficit, factum eſſe aliquid, niſi & iure illud factum eſſe, conſtet. Interuenire poſſunt, in pactis conuentisque, uitia, quibus illorum tollitur obligatio. Idque uel paciſcentium intuitu uel eorundem poſterorum uel aliorum omnium, quorum intereſt, uel denique ob adhibitam, quae abeſſe debuerat, improbam fraudem uel tandem ob rem, quae non ſit in paciſcentium poteſtate, cetera. Tantus cauſarum cumulus eſt, quae confringunt quaſi tabulas, ſcriptas in publicae licet fidei teſſeram. Earundem uero nulla ferme abfuit a transactae litis, ſuper quatuor *Sileſiae ducatibus*, *Brandenburgicae domui patrimonialibus*, cum *Auſtriacis* rerum adminiſtris geſto confectoque negotio, nullitatis hic arguendo ea propter omnino.

Quarum cumulus in *Auſtriaco Brandenburgicis* an. 1686. & 1695. ſuper *ducatibus Sileſiae.*

Principio ob ſtat illis *pragmatica ſanctio* domus *Brandenburgicae.*

§. II. Principio enim illud praeſtruendum eſt; quod teſtatisſima ſint uſuque probata trium ſeculorum &, auguſtalibus praeterea codicillis, inſtar pragmaticae ſanctionis, firmata

GEN-

GENTILITIA INTERDICTA BRANDENBURGICAE DOMUS

atque anno 1437. 1473. 1541. 1603. ſaepius iterumque inſtaurata & olim:

GENTI PARTA TVERI. QVAE ALIENATA AB VLLO GENTILIUM, POSTERIS AVTORITAS SIT, AD RECUPERANDUM ILLA OMNINO.

Praeſertim in *Iaegerndorfenſi* paragio etiam.

§ III. Atque hoc eodem gentilitio pacto, in IAEGERNDORFENSIS ducatus *paragio*, IOACHIMO FRIDERICO, largitore, eſt cautum: ut *paragiatus princeps, Iaegerndorfenſi ducatu, paragio ſuo, utatur fruaturque ſitque nefas, eum vel aere alieno grauare uel alienare eius latum unguem.* Ut adeo, eius poſteritate *maſcula* extincta, ducatus redeat gentlitius ad BRANDENBVRGICAM domum, integer ac *liber*. Quo ſcilicet iure rem ſuam proprietarius recipit, uſufructuario extincto. Cuius tabulae exhibuimus epitomen in *adpendicis num. IX.*

Num. IX. adpendicis.

In his *gentilitiis ducatibus* Succeſſor nec tenetur *aere alieno* a *deceſſore* contracto.

§. IV. Quod de *alienando* cautum, illud credi poteſt facilius; quoniam ne quidem deceſſoris aere alieno grauari poteſt ſucceſſor. Etenim, in BRANDENBVRGICA gente, exempla non deſunt principum eorum; qui, in aditione gentilitii principatus, inuentarii codicillis uſi ſunt ideo: ne, ultra *allodii* uires, creditoribus defuncti deceſſoris obligarentur, ulla parte aut iure. Idque ſupremi, in in Germanico imperio, tribunalis forenſi autoritate.

Sanctio haec poſteris dat ius, *uindicandi* amiſſa per *iniuriam.*

§. V. Sunt porro iudicia plurium patriae iureconſultorum: *Germaniae principatus omnes* eius genere cohaerere

ac

ac constringi *gentilitio nexu.* Quapropter tantum absit; facto delictoque decessorum obligari successores uel descendentes uel ex latere coniunctos; quantum absit, fideicommissarium teneri aere alieno aut profusione & alienatione fiduciarii heredis. Quod nemo quidem neget illud; Germaniae principatus, *genti* ac *domui principali uniuersae* acquisitos & collatos esse olim; cui nocere, suis factis, nulla ratione possit gentilis ullus, etiamsi regnator. Verum non opus est hic illa prudentum sententia, quam uera etiam & sincera illa sit, genti BRANDENBVRGICAE certiori longe, sibique propria ac peculiari *pragmatica sanctione*, cautum: ut in illa, quae a maioribus alienata sunt, posterorum autoritas salua sit, ad recuperandum. Licet igitur, uel suo quodammodo facto, teneatur contrahens debitor, gentilis: gentilitati tamen nullum exinde uel damnum uel iurium ullum decrementum. Successor, qui iure hoc suo tum utitur, non peregrina & aliena territoria adpetit: sed, quod est suum, requirit; desiitque esse alterius, morte conferentis ac dissipantis principis decessoris.

non, ut *aliena* sed *propria* sibi.

Eius *memores Brandenburgici* in *quatuor ducatuum Silesiae* tractu.

§. VI. Nullo igitur unquam tempore huius *domesticae sanctionis* immemores fuerant BRANDENBVRGICI *principes electores.* Quamuis enim *Austriaca gens* non tantum ipsos; sed etiam administros eorundem tentasset ideo plurimum: ut iura haec, in quatuor *Silesiae* ducatus, *Iaegerndorf, Liegniz, Brieg, Wohlau* cum adnexis, extinguerentur, aeris conuenta summa; nunquam non tamen opposita illis fuit PRAGMATICA haec SANCTIO, quae, *palladii* instar, esset colenda & conseruanda, religione summa, *Brandenburgicae domui,*

§. VII.

§. VII. Intellexerant *Austriaci* hinc, principis electoris FRIDERICI WILHELMI M. expugnari non posse animum, nisi *terrarum* quid in *Silesia* & *alibi* eidem offerretur, ad faciendum satis iuribus atauitis aliquatenus. Igitur de *technis* cogitandum; quibus una manu daretur quid promittereturque; altera autem, circumuentionibus nouis, idem iterum eriperetur, fraude & arte olim. SCHVIBVSENSIS scilicet in *Silesiae* tractus, *Glogouiensis* ducatus modica pars, in medium fuerat prolatus. Et, cum is flocci haberetur, a peritis rerum aestimatoribus: *Frisiae* orientalis DYNASTIARVM adiecta sponsio; quod illa loca *maritimo* tum negotio & *Africanae nauigationi*, quam paulo ante instruxerat princeps *elector*, uiderentur multum prodesse & conferre, ad naues habendas in tuto ibidem deinceps. Fuerat, eo tempore, annus erat 1636. *Austriaca* domus bello *Turcico* implicata grauiter & noui belli incendia latuerant, in cineribus, circa Rheni uiciniam. Germaniae scilicet arcifinio parum clauso, in occidentali hac plaga. Vltimum igitur *imperio*, primum uero *Austriacae* genti dedit gloriosissimae memoriae princeps *elector*. Ne uel *patria* deserta esset auxilio; neue in *Hungaria* reciperent animos uiresque *Turcae*; ut adeo aquilae Brandenburgicae praevolarent exercitibus, *Austriacae* addictis genti. Contra autem solicitauerant passim *principem electorem* hostes; ne ille uel *Austriacam* causam faceret suam uel ingruenti bello imperii accederet ultra, quam militum in matricula imperii requirerent ab illo numeri definiti. Quod si fecerit princeps elector, & fortitudinis laude & exercituum robore, cognitus omni Europae:

Ideoque ad *technas* uertenda studia

ad fallendum Principem Electorem *tractatu simulato* de *quatuor Silesiae ducatibus.*

Simulationis causae bella *Turcica* & inuasio *uiciniae Rheni.*

Patriae amor & studium pro *Augustae domo.*

spopon-

ſpoponderant illi, in quorum hoc uel ageret uel omitteret gratiam, plurium poſſeſſionem *principatuum*, ſuis uiribus & armis recuperandorum, etiam eo nil agente porro. Verum abfuit a *principis electoris* animo; uel *imperii* uel *Auguſtae* domus cauſam ſuae poſtponere ac poſthabere. Eo igitur minus credendum fuerat aut ſuſpicandum; fore, ut *Auſtriaci* adminiſtri rerum Germaniae amantiſſimi, principis candori reponerent fallacias; atque auxiliatrici eius dexterae inſidias ſtruerent & impoſturas. Quod tamen ita eueniſſe, proh! docuit rerum exitus, funeſtiſſimus *Brandenburgicae* genti.

remunerantur captionibus.

Impoſturae uitiant contractum.

§. VIII. Simulatorum in iure contractuum nulla obligandi uis. Sed quae ſimulatio iniquior quam haec? Adſignauerant *Auſtriaci adminiſtri Schwibuſenſem* tractum, inter alia, FRIDERICO WILHELMO M. an. 1686. ſed, eodem uere momento, FRIDERICVM filium eius &, in electoratu, paulo poſt ſucceſſorem circumuenerant, praepotentis *Auſtriacae* domus, auguſtali fulcro corroboratae, metu: ut, accepta a parente, redderet protinus, rerum, biennio poſt, dominus ac heres, eluderetque ita conuenta iuraque cum patris, tum gentis Brandenburgicae uniuerſae. En autem ipſius circumuentionis hiſtoriolam, recenſendam hic, regalis tabularii fide.

Eius *ludibrii* hiſtoriola.

§. IX. Ludibrii huius autor actorque fuerat *baro de Freytag*, Auſtriacus rerum adminiſter, qui, eius negotii cauſa, tum miſſus fuerat *Berolinum*. Sciuerat ille magnanimi principis electoris, FRIDERICI WILHELMI, uirtutem fortitudinem; ſed cognouerat quoque illius herois,

rerum

rerum geſtaruum multitudine, confectam fere fractamque ſenectutem. Parum igitur intereſſe uidebatur; pacare eius animum interim & flectere ad exercitum & auxiliatrices copias, mittendas ad *Turcica* bella. Vtcunque id fieret; dummodo eludi ſic poſſet; ut *Schwibuſenſis* Sileſiae tractus cederetur tantum, inanium ſpecie. Si quidem eundem redditurus eſſet, eius in electoratu, ſucceſſor breui poſt; obitu illius ingruente, in extrema eius ſenecta. Quid fit? adit igitur heredem electoratus FRIDERICVM, rogatque; ut deſcenderet in ſoliloquium cum eo; ſed clam, remotis conſultoribus aliis quibuscunque, etiam illis, ut perhibetur, qui principi heredi fuerant unice a conſiliis tunc. Audit ipſe oratorem. Caput cauſae fuerat: imperatori peropus nunc eſſe milite in *Hungaria*, quem mittere recuſet, offenſus pater ab *Auſtriacis* adminiſtris, in deproperata *Nouiomagenſi* pace, ob ſpem datam, expletam nullo modo. Vnde *Pomerania* excidiſſet iterum, iuſtiſſimo bello recuperata ab hoſte, Marchiae inuaſore. Igitur e re fore; ut rediret pater cum *auguſtiſſimo imperatore* in gratiam. Aliam tamen non ſupereſſe uiam; quam circumuenire ſenem, principem electorem, *ſimulato contractu*. Vrgere eundem atauita in *quatuor Sileſiae ducatus* iura: ſed nullo modo fieri poſſe, ut imperator praepotenti domui Brandenburgicae, euangelicis ſacris addictae, faceret ullum in *Sileſia* locum. Interim imperii hoſtibus optata haec fore diſſidia, quae illi uerſuri eſſent in Germaniae perniciem. Oblaturum itaque imperatorem principi electori SCHWIBVSENSEM *Sileſiae*

Clandeſtinum colloquium.

de *patre* pacando *inanium ſpecie.*

tractum,

tractum, ſpecie inanium, ſi ipſe, proxime ſperatus, ob patris ſenectam, heres promitteret; reddere, quod traditum eſſet idque ſub regiminis aditi initium. Quod, ni polliceretur *iuuenis princeps;* grauiſſimam eidem *Caeſaris* iram fore, quam ſentire poſſet multifariam & nunc & deinceps, ob hoſtium & inimicorum, domi & foris, inſidias metuendas multiplices. Quae tamen anecdota prodere ulterius, nondum eſſe uidetur e re, contra, ſi expleuerit princeps haec deſideria, neque occaſionem de fore *domui Auguſtae*, ad commoda alia plura procuranda & indulgenda, in illius gratiam. Accedere quod, *quatuor Sileſiae ducatuum* ſpes nulla ſit, efflorescentibus quotidie *Auſtriacae domus* maximis incrementis. Parum aut nihil iura proficere; ſi pars urgeat illa infirmior aduerſus potentiorem. Neque ulla inter principes iura tam expedita & clara eſſe, quae nequeant inuolui argutiolarum tegumentis & quae eius furfuris fuerant alia plura generis eiusdem. Tenuerat, manu ſua, Freitagius chirographum neque ultra quid a principe requiri; quam eidem ſubſcriberet nomen. Interim tegenda haec ſilentio neque ulli miniſtro aut officiali prodenda, ne quid eius reſciſcat pater elector; ſic circumuentus. Si quidem euitari uelit belli incendium, exinde perciniosum uniuerſae Germaniae. Ideoque etiam celerandum eſſe negotium; ne, ex diuturno colloquio ſecreto, apud rerum adminiſtros oriretur aliqua ſuſpicio. Atque his demum offuciis, circumducti ac minis metuque concuſſi, principis ſubſcriptio eſt ementita & emendicata.

& *fallaciis.*

Soliloquii *Freitagiani euan ſcunt* argumenta.

§. X. De hiſtoriola ſatis; uertendus nunc ſtylus, ad expendendum hinc illatas iniurias & conuentorum, in iure, nulli-

nullitatem; demonſtratam, a rerum quondam adminiſtris, quorum libelli, in regali laterculo, adſeruantur plures adhuc. *Principio* enim, *gentilitia Brandenburgicae domus interdicta uiolare*, fuerat nefas nec ullo modo tolerandum: alienare res iuraque, ſemel quaeſita genti. Haec autem ne quidem ſciri, poterant a principe herede, regiminis participe tunc nullatenus. Cui religio fuerat, de rebus imperii informari, ne uota concipere uideretur, regnare, ante diem. Deinde qui poterat ille alios conſulere, eorundem peritos; fide data extortaque in *ſoliloquio Freitagiano;* ne ulli homi- num proderet ea de re quicquam. Irritum igitur quicquid aduerſus *domeſticam hanc Brandenburgicae gentis ſanctionem*, in hoc latebroſo colloquio, promiſſum. Primo enim deſtituit illa ipſos quoque *principes regnatores*, alienandi facultate; multo autem magis *ſperatos heredes.* Quo pertinet illius ſapientis edictum: *ſi promiſi, quod eſt iniuſtum, non promiſi, ſed dixi.* Deinde uti ignorantis eſt conſenſus nullus: ſic principis hereditarii non fuerat, indagare in pacta domus, regnantibus cognita, tectaque contra aliis quibusuis, extra reipublicae gubernacula. Fruſtra igitur, ſiue nolle ſiue uelle, creditur quisquis illud, quod neſcit. Nam intellectum ſequi debet uoluntas. Neque haec ultima primum poteſt praeuenire. Taceo demum, quod principi ſolitario uia tunc praecluſa ſit, conſulere rerum peritos. Qui autem impedit intelligere, fruſtra urget uelle. Atque haec ſatis in *pragmaticae ſanctionis* argumento,

1) quae aduerſa ſunt *pragmaticae ſanctioni* Brandenburgicae domus.

2) *Latuerat* illa principem.

3) prohibitum *alios conſulere.*

§. XI. Sequitur nunc interuenta *fraus;* in hoſte culpanda, multo magis deteſtanda in ſimulatore *amicitiae* ſingularis.

4] *Captiones* innumerae pacta deſtituunt ui *obligandi.*

gularis. Vitiat contractum & quodammodo, ciuili lege, nullum reddit, dolus, si dederit ei causam. Quis ausem bonus & aequus negotii aestimator crediderit, principem hereditarium, iuribus suis nuntium fuisse missurum; si uel intellexisset illa uel cognouisset uanitatem eorum, quae simulator egregius ei insinuauerat. Falsum fuerat, *principis electoris* patris animum magis inclinasse, ad uindicias iniuriarum, sibi illatarum; quam ad tuendam patriae securitatem. Quibus enim officiis obstrictus fuerat, ad auxiliatrites copias mittendas, in imperiali definitas matricula, illas semper ipse habuit in promtu; sed paeterea *Austriacae* domui, in *Turcicis* tunc bellis, exercitu succurrrere, ad acquirendum, in *Hungariae* confiniis, regna territoriaque, uti tunc euenit, illud arbitrii fuerat, non debiti absequii. Quo ipse necquicquam fuerat obstrictus. Adiuuare autem rempublicam alienam; aduersam sibi, in iustissimis quibusque causis, ceteroquin fallacem in promissis; illud nulla ratione fuerat ante suadendum aut commendandum principi electori, quam eidem in quatuor *Silesiae atauitis ducatibus* factum esset satis. Praeterea patrimonialia in illos iura non inania aut dubia fuerunt; sed clara & expedita omnino. Quorum omnium princeps esse debuerat ignarus; quod caput clandestini colloquii esset hoc, neminem consulere, eorundem peritum. Quae cum ita sint; quis quaeso! uel *Austriacum* oratorem absoluerit a fraudis, in eo negotioreatu uel pactum a uitio nullitatis.

Ignorantis nullus *consensus.*

Prohibitique consulere *alios.*

5] Pactorum *uiolatio* Austriaca.

§. XII. Potissimum quoque est illud; quod, in aliis pluribus, fecerint *Austriaci* cum *principi electori*; tum *filio* eius.

& *heredi* promissa; quae fefellerit orator ipse; Austriaca uero domus expleuerit nequicquam. Optime sibi conscia, exempli loco, *Lichtensteinenses Fristae dynastias*, in hac familia fideicommisi nexu ligatas esse; quae uel cedi uel redimi nequiuerint, ullo modo. Quod negotii euentus docuit, quo sic elusa fuerat haec pollicitatio. Sapientum edicta sunt haec: *conditionem nil ponere in esse.* Neque in conuentionibus teneri alteram partem; si una non steterit in eodem negotio promisis. Atque his captionibus irretitum & principem electorem & filium eius heredem, quis non absoluerit utrosque ab omni conuentionis nexu pariter?

6] Pactorum de *patrimonio uiuentis* augustalia *interdicta.*

§. XIII. Ad extremum, quis hoc rerum statu, ruborem non expresserit *Austriacis*, *Iustiniani* imperatoris sanctione integerrima: *ne quis obstringeretur eo, quod facturum se promiserit, in aduentura alterius hereditate.* Addit sui edicti huius causas Caesar christianissimus, elogio Graecorum. Principio enim de *rebus uiuentis* & *ignorantis* conuenire, *bonis moribus aduersum* esse. Quia sit hoc, paciscí de alieno, contra *domini uoluntatem.* Deinde rem odio dignissimam; quod ea post se tristissimos multoties trahat euentus. Adeoque, aliquid ita fieri suorum temporum, quae christiana fuerant, non pati sectam. Scio, legem hanc ciuilem esse. Sed neque has ipsas spernere solet imperator, in nostra etiam Germania. Imo, si illum ipsum negotia tangant, etiam si legibus non teneatur, uiuere tamen eum legibus ultro, ut exemplo praeeat subditis. Porro firmat legem naturalis etiam ratio. Quia laeduntur sic officia, quae homo homini debet, in societate, praesertim ciuili; ubi minus est

Iustiniani in *l. 30. C. de pactis.*

honeſtum, inhiare alienis aut in hereditatem inquirere ante diem. Praeterea & comprobant interdicti cauſam exempla, triſtisſima multoties euenta. Vt adeo ipſa naturae praecepta eius uiolet transgreſſor & ciuilis ſocietatis deſtruat ſecuritatem, parte non leui. Habebunt certe nouum hic, portentoſi huius contractus, ſpecimen & iureconſulti & philoſophi, quod notem carbone. Accedit, quod in *principem heredem* peccatum non ſolum, quod ei pacta extorta ſint rerum, in futura olim ſucceſſione, ſperandarum: ſed etiam adhibita fuerint alia multiplicis generis decipula, ex illis, quae ſuperius ſcripta ſunt, in memoriam hic reuocanda iterum. Stat igitur, firmisſimo talo paretque inde colloquii clandeſtini uanitas & modus, tractandi negotia inter *imperatorem* & *principem heredem* iniquus ac inuiſus meliori aeuo.

Purpuratorum *iudicia*, de *ſoliloquii Freitagiani* uanitate mortuo electore.

§. XIV. Mortuo igitur an. 1688. magnanimo principe electore, FRIDERICO WILHELMO, aperit ſoliloquii eius argumenta princeps ſucceſſor, FRIDERICVS, quae, uiuo patre, erant tegenda omnino. Conuocat ideo ſanctiorem ſenatum mandatque; ut ſinguli eius collegae conciperent ea de re ſuffragia ſua ſigillatim litteris, quae, ultro citroque lecta, deinceps in deliberationem ueniant, collegiique uniuerſi ſententia, reſpondeatur quaeſtio: *Num uerba data, in eius generis latebroſo colloquio, ullam habeant obligandi uim?* Expenſis itaque rerum omnium momentis, decretum fuit unanime:

Quae, in clandeſtino colloquio hoc principi heredi extorta, illa Brandenburgico gentilitio interdicto aduerſa eſſe; deinde fraudis & doli ideo reum Auſtriacum oratorem; quod

quod recuſauerit, rerum peritos conſuli circumueneritque principem, iuris ſui inſcium; accedere; quod Auſtriaci etiam conuentis minus ſteterint à promiſſisque diſceſſerint potius tabularum anni 1686. multifariam. Quo rerum ſtatu liberetur princeps, nunc elector, a clandeſtini pacti obligatione omnino. Adeoque, hoſtimenti & penſationis inſtar, data Schwibuſenſia nullo iure repeti ab Auſtriacis.

Iterum iterumque *oppoſita* curiae *Viennenſi.*

§. XV. Ex eo igitur tempore BRANDENBVRGICI rerum adminiſtri ſerio ac ſaepius AVSTRIACIS in memoriam reuocarunt *Viennae:* quam indigne quondam actum fuerit, in clandeſtino colloquio, cum principe ſapientisſimo; ſed iuris tunc ſui inſcio. Eo iniquius fore, cognitis nunc rerum cauſis, urgeri eius complementa. Sed parum auditi ſunt. Potius minae ſparſae a Bohemico cancellario, penes quem huius argumenti tunc cura: reſtitutio *Schwibuſenſis* principatus niſi actutum fieret, ac ſine ulla dilatione, in promptu fore copias militares, ad occupandum & depellendum Brandenburgicos poſſeſſores rerumque ibi adminiſtros.

Ipſique *auguſto.*

§. XVI. Prouocauit igitur *princeps elector*, in graui hac cauſa, ad imperatorem ipſum; iuris & aequi ſtudioſisſimum, glorioſae memoriae auguſtisſimum Caeſarem, LEOPOLDVM inſtruxitque hoc mandato conſiliarios ſuos, *Auguſtam* miſſos, ad eligendum ibi *Romanorum Regem.* Enarratae ſunt, in formula iſtius mandati, multiplicia circumuentionis genera, quae promiſſis demerent obligandi uim. Quae *ſanctio domeſtica* prohibeat alienare; illam multo magis interdicere, iure accepta reſtituere. Et, ſi quando fieret hoc:

rediuiua fore priſtina iura *Brandenburgicae* gentis olim in poſteris. Sed praeterea iuris inſcium circumuenire iniuſtum eſſe; iniquiſimum autem illud; quod legis inſtar, noluerit pars aduerſa, alios conſuli. Nullitates occulti promiſi, in clandeſtino colloquio, plurimas eſſe grauiſimasque; cum turpitudine coniunctas, rerum transactarum de principatu uiuentis. Spem igitur certiſimam fore fiduciamque, in *Auguſtali* indulgentia, plenisſimam: liberatum iri principem electorem a tot fallaciarum iniquisſimo nexu.

Tandem *princeps elector* reddit *Schwibuſenſia* an. 1695.

§. XVII. Remora inde actae rei, necquicquam uero litium finis. Sparſis omni tempore ac loco minis: reddenda eſſe *Schwibuſenſia*, ſi euitari uelint *Auſtriacae* auguſtaeque domus irae, nullatenus extinguendae alio ullo modo. Iactatis igitur identidem minacibus telis incuſſoque ſaepius iterumque metu, tandem ſapientiſimi principis electoris animus fuerat demum fractus & expugnatus: ut anno 1695. SCHWIBVSENSIA reſtituerentur Auſtriacis, modica aeris ſumma ſoluta; quae uix reſpondit factis in principatum impenſis. Illud autem eſt imis ſenſibus notandum ac circumferendum nunc animo, hoc rerum euentu. Vltima uerba eius, in ſanctiori ſenatu prolata, fuiſſe haec: *nolo ulterius refragari petitioni Auſtriacae. Sto uerbis egomet, datis quondam fruſtratori, pacis amore & uiri boni ſtudio; nullius licet iuris uinculo coactus. Verum poſteros meos, quicunque fuerint illi, meae gentis; neque obligare uolo, neque, ſi uoluerim, potero, in quaeſitis ſemel iuribus quatuor Sileſiae ducatuum uel amittendis uel extinguendis memoria. Eorum erit, inuigilare temporibus deinceps. Horum iniuria egomet preſſus, quod non debeo, reddo. Haec, ſi continuauerint, porro patienter ferendum, quod mutari nequit. Aduerſus torrentem nauigare, inconſultum fore ſemper. Si autem, prouidentia numinis, euenerint meliora; non negligent olim mei, quator Sileſiae principatuum uindicare patrimonia haec atauita. Ne actum quid factumque fuerit intempeſtiue.*

Perorata cauſa nec ſine *omine.*

§. XVIII. Erat igitur *principis* electoris iudicium ſincerum & rectum in eo; quod, licet promiſſor etiam, ſi quidem abfuiſſet captio & fraus, teneretur hoc ſuo pacto: illud tamen nequicquam tangeret poſteros, liberatos eo, per *ſanctionem* & *interdicta* maiorum omnino. Sit igitur, *principem electorem*, ſapientiae laude celebratiſimum, ſteriſſe pactis, clandeſtinis &, impoſturarum multiplicium genere, notatis paſim, idque feciſſe eum, uirtutis & bonae famae ſtudio: non tamen ideo eius poſteri uel fuerant obligati uel obligari poterant nexu eodem; quem improbauerant maiorum inſtitura. Quorum religione ſtandum uiuendumque, in gentilitio principatu, parum attentis illis, quae iisdem uiderentur, ex factis deceſſorum, obeſſe.

Licet *promiſſor* teneatur, non ideo eius *poſteri.*

§. XIX. Suboluiſſe id ipſum adminiſtris Auſtriacis, opinabile eſt ſatis, ideo. Nam, reddito SCHWIBVSENSI principatu, neglexerunt illi, *nouae renuntiationis* urgere formulam; cuius tamen iteratione opus eſſe uidebatur maximopere. Conſenſus enim, ad alienandum, olim quidem fuerat datus; uerum ſub lege *Schwibuſenſis* accipiendi & retinendi *principatus*. Hoc eodem reddito iterum, cauſa renuntiationis ceſſante, etiam eius iteranda denuo fuerat praeſtatio. Quoniam, uti euenit uere, conditione ceſſante & eliminata, expirarat conſenſus priſtini obligatio. Praeuiderant autem hoc facile *Auſtriaci;* incertae illud aleae fore: num

Schwibuſenſi ducatu reddito, redeunt priſtina *iura Sileſiaca* poſtliminio.

Gentilibus maxime.

conſenſuri ſint *Brandenburgici* gentiles, erepto illis iterum SVIBVSENSI ducatu; cuius, praeter alia, intuitu, conſenſiſſent illi in tractatibus olim. Igitur magis uidebatur conſultum, nil eius rei porro requirere, quam ferre, eius petiti repulſam; grauiorem longe, quam ſi res ſuo relinqueretur loco.

Quod *ille ſurrogatum.*

§. XX. Etenim poſtulati, in *Sileſiae* quatuor *ducatus*, iuris *ſurrogatum* fuerat *Schwibuſenſis*, inter alia, ducatus. Reddito igitur eo, reuixit *ſurrogans*, id eſt, *quatuor Sileſiae ducatuum patrimonia atauita Brandenburgicae genti.* Poterat *princeps elector* reddere primum; ſed nequiuerat poſteros ſuos priuare altero, id eſt, priſtini olim iuris anaſtaſi.

Euictio *Lichtenſteinenſis* fideicommiſſi *fruſtrata* pariter.

§. XXI. Praeterea quaeſo! quae fuerat *Lichtenſteinenſium dynaſtiarum* ludificatio, in hoc eodem tractatu, promiſſarum omnino; ſine ullius rei moto ſcrupulo tunc. Huius tamen rei alienae indoles cognita fuerat *Auſtriaco oratori.* Vrgente enim *principe elector* etiam huius promiſſi complementum, poſt tergiuerſationes longas & multiplices, regeſtum: *dynaſtias* hasce *fideicommiſſi gentilitii* nexu conſtrictas eſſe *Lichtenſteinenſi familiae;* ut praeſtari nequeat ab *Auſtriacis* earum *euictio.* Sed cum tantum non palmaria haec fuerit tractionis formoſisſimae cauſa; idonea fuerat occaſio, ad poenitentiam *Brandenburgicae* quoque domui & cauſa legitima ad reſiliendum pariter ab inito contractu. Verum retinuit iterum, ab hoc conſilio, *Brandenburgicum principem electorem* illa, in *Auguſtalem Auſtriacam domum*, amicitia & reuerentia clientelaris praepotentiaque. Nullatenus iamnunc adleganda, porro, tempore interregni, &, mortuo Auguſto, ſine maſcula prole. §. XXII.

Extincta *maſcula* prole reuiuiſcunt iura *Brandenburgica* in quatuor *Sileſiae ducatus, maſculae* tantum ſucceſſionis.

§. XXII. Etenim id ipſum eſt porro in *quatuor Sileſiae ducatuum* reuiuiſcente nunc iure, ſingulare argumentum, necquicquam ſpernendum, ab aequo rerum iudice. Sit enim; ſucceſſoria in illis iura promiſſa fuiſſe FERDINANDI regis poſteris; tamen illud ultra intelligi nequit, quam maſcula ſobole non deficiente. Idque ideo, quod populus *quatuor* eorundem *ducatuum* fidem non dederit aliis; quam *maſculis* regnatoribus unquam. Non itaque proferri debuit ille nexus ad *foeminas;* quibus, ne quidem in originali familia principali, fuerat ille obſtrictus ullatenus. Quod cum ita ſit, ita autem eſſe, cum natura principatuum docet, *maſculae* tantum ſtirpi addictorum; tum clientelaria *Bohemiae regum* diplomata, concepta non niſi in *maſculae prolis* gratiam. Hac igitur in *Auſtriaca* domo extincta nunc: poſtliminii rediiſſe iura *Brandenburgicae* genti, ab eo, quod iuſtum eſt, alienum uidetur necquicquam. Praeſertim etiam ideo, quod iusiurandum, *Brandenburgicae maſculae* ſtirpi praeſtitum tanta religione, nullo unquam tempore, ſublatum & *relaxatum* ſit, *quatuor* Sileſiae *ducatuum ſubditis* & ordinibus. Vt adeo his uerti nequeat uitio; ſi iamnunc eius uinculi iurati reminiscantur, agnouerintque *Brandenburgicos* principes dominos & regnatores ſuos poſtliminio, *maſcula Auſtriacorum* ſobole exareſcente. Communia quidem feudorum decreta *conſolidationis*, ut dicunt, iura tuentur: ſed habent nec illa locum in rebus infeudari ſolitis falluntque deinde in principatibus etiam illis, qui *regnatrices foeminas* ſpernunt quique, eueniente caſu, iureiurando adſtricti iam ſunt alius gentis *masculae* ſtirpi. Licet enim ſucceſſoria iura dederis ſententiae regis FERDINANDI; necquicquam tamen ideo proferri haec

haec poſſunt ad poſteros *foemineae* ſtirpis ideo; quod *Sileſiae quator* principatuum horum cum natura, tum clientelares codicilli non alios ſucceſſores agnoſcunt, quam *maſculos*, excluſis hoc ipſo *mulieribus*, qui ultimus caſus euenit iamnunc. Verum haec *obiter* tantum dicta ſint; ut, ſi non iuuerint ſingula; proderint tamen uniuerſa.

Inſignium *Sileſiae* conſpectus in *gentilitiis teſſeris* ideo. & in titulo *nomen.*

§. XXIII. Horum omnium igitur memor *Brandenburgica* domus, heraldica etiam *Sileſiae inſignia* non ſolum retinuit in teſſeris ſuis gentilitiis: ſed etiam formulam, olim conſuetam continuauit deinceps, curiali quoque ſermone; *etiam in Seleſia duces*, non attentis *tractatibus*, paciſcenti *principi* tantum *electori* propriis, ſalua *gentis* ipſius priſtino in *Sileſiae ducatibus* iure. Scio, gentium fere moribus receptum illud; ut principes ſaepe faciliores ſint, ad remittendum iura, quam ad delendum ſchemata haec. Verum contra conſeruant renouantque illa iurium memoriam, ſi pactorum, in renuntiando, adparuerit uanitas, tangantque illa nullatenus ipſam gentem gentisque poſteritatem.

Meritorum Brandenburgicae domus in *Auſtriacam* auguſtalem *amplitudo.*

§. XXIV. Haec omnia ſi expenderit *Auſtriaca* domus aequa lance, eo erit facilior nunc, ad reddendum *Brandenburgicae genti, quatuor Sileſiae ducatuum atauita patrimonia.* Agnoſcet pariter & illud, quam inique actum ſit cum *Brandenburgicis principibus electoribus* maxime olim, nullo non tempore tamen bene meritis & merentibus de *Auſtriaca Auguſtali* domo, nunc armis iterumque conſiliis, ut requiſiuerant rerum euenta quaeque. Extant de hoc argumento *peculiares libelli*, de *meritis Brandenburgicae domus in Auguſtalem familiam Auſtriacam*, inſcripti ſigillatim. Idque ab auto-

